

Qk. 526, 27

B. m. 7

IOHANNIS BOCERI

II c

1612

DE MORT

TRIVM PRÆSTAN-

tissimorum Germaniæ Poëtarum, &

clarissimorum uirorum, D. GEOR-

GII SABINI, V. I. Doctoris. Et

D. IOHANNIS STIGELII.

Et D. PETRI LOTICHII

Secundi, Medicinæ

vid. ante.

Doctoris.

ÆGLOGA.

*Memoria prædita est, poetas nobiles
poetarum æqualium morte doluisse.*

Cicero in libro de Cl. orat. ubi de C. Hortensio

ROSTOCHII

obitu oritur.

EXCVDEBAT STEPHANVS

MYLIANDER.


1562.

Clariss. viro D. Ad-

mo Giberio D. H. can-

tu suo cariss.

J. Bocernus m. h. l.



CLARISSIMO VIRO,
 uirtute & doctrina præstanti, DA-
 VIDI PEIFERO I. V. Doctori,
 & illustrissimi Principis & Herois
 IOHANNIS ALBERTI Ducis
 Megapolei &c. Consiliario,
 amico suo carissimo.

S. P. D.

IOHANNES BOCERVS.



Atura hominibus, qui rectæ
 rationis ductu reguntur, indis-
 tum est, David Peifere, uir clas-
 rissime, ut amicorum, & opti-
 morum uirorum desiderium moleste fe-
 rant, seque uehementer adfici, & horum
 occasu sollicitari lachrumis & gemitu
 testentur. Idcirco si in plebeio hominum
 genere, quod nullam eruditionis par-
 ticulam attigit, fieri uidemus: quid de
 nobis sentiendum est, qui Philosophiæ

A 2

præcep

præceptis, & humanioribus disciplinis,
ad omnes honestas actiones, & uirtu-
tum officia aduſuefacti ſumus, aut ſal-
tem uideri uolumus, hoc ipſo uitæ ge-
nere & professione, longè nos cæteris
mortalibus præſtare. Hæc cum ſol-
licite mecum expenderem, mors trium
excellentiſſimorum Poetarum, quæ rē
publicam literariam, unius anni ſpacio
crudeliter afflixit & moleſtauit, incre-
dibilem mihi attulit dolorem: meq; de
ſpe, quam ex induſtria & ingenio ho-
rum uirorum iam dudum conceperam,
& de opinione gloriæ, quam mihi com-
munem cum tantis uiris, ob ſimilem in-
genij facultatem & ſtudium, ſemper ar-
bitratus ſum, multum deiecit, & maxi-
mo animi mærore deturbauit. Amiſi-
mus enim in his tribus uiris, ea orna-
menta & decora, & non ſolum in ſtudio
Poetico, quo quilibet horum diuinitus
erat ornatus & donatus: Verum etiam
in reliquis disciplinis & artibus, eam
facultatem & gloriam, qualem poſtera
ſecula,

118
secula, inter hanc ingeniorum ferociam,
& ignauiam nulli concedent. Quan-
tum uero peculiariter ad uirtutem & dig-
nitatem poeticam attinet, quæ in his
tribus uiris, ad ipsam maturitatem &
consummationem perfecta cum gloria
eluxit, summi & excellentes hi tres uiri
in Germania fuerunt: & horum inge-
nij munere & felicitate, id consecuta est
Germania, quod se Italis, Gallis, &
Hispanijs, & alijs nationibus in hoc stu-
dij genere audacter conferre, & nomi-
ne pietatis, & rectitudinis, & ueri usus,
summo iure præponere potuit. Vehe-
menter itaq; dignitas & gloria studij
poetici, (quod in omni erudita uetusta-
te sacrum & admirabile, & tanquam
cæleste donum cultum fuit,) occasu ho-
rum trium uirorum, in Germania dimi-
nuta & debilitata est. Et quoties præ-
stantiam & diuinum ingenium in his
uiris admiror, & illos immatura morte,
unum statim post alterum, non longo
temporis spacio, & quasi fati hanc ins-

A ;

genios

geniorum & doctrinae, & facultatis poeticae gloriam Germanis inuidentibus, sublato considero, bonarum artium interitum, & praecipue studij poetici contemptum, & priscae barbariae, plenumque inscitiae tempus, tristis animus mihi praesagit. Neque aliud paucis ab hinc annis, in hisce pulpitis nostris, & palestris literarijs, quam horrenda & detestabilis uastitas expectanda est. Absoluerunt enim suum curriculum, & ad summum fastigium bonae literae in Germania peruenerunt, & quanta gloria & alacri studio, & bonorum uirorum consensu, plusculis ab hinc annis accrescere, & se efferre ceperunt: tanta ignominia & socordia, & doctorum hominum turpi dissensione, & mutua insectatione, iam in extremum contemptum ruere, & ad interitum uergere uidentur. Harum rerum cogitatio, & instantis ruinae turpitudine, ut uehementer bona ingenia commouet: ita te, Dauid Peifere, his curis angi, & sollicitas
ri non

119
ri non nihil scio. Præcipue horum tris-
um præstantissimorum Poetarum mors
tem, te perquam moleste tulisse, uirtus
tua & eruditio, & in simili studiorum
genere facultas, satis declarare possunt.
Facultas enim poetica, qua hi maxi-
me floruerunt, tibi etiam diuinitus con-
cessa, non leuem gloriam & famam,
nomini tuo, apud Germanos nostros,
& exteras nationes peperit, teq; multis
in hoc puluere sudantibus, uenæ limpi-
ditate, & carminis suauitate & elegan-
tia præposuit. Quæ res, & amicitia
nostra, aliquot iam annis confirmata,
facit, ut à te petere audeam, ut tumule-
tuariam hanc Æglogam, sub auspicio
tui nominis, in publicum edi patiaris.
Etsi uero ingens dolor, & tristitia mihi
non permisit, hanc Æglogam sic exor-
nare, ut politis & limatis tuis auribus sa-
tis faceret: Tamen te ueniam mihi con-
cessurum, & id quod peto, non graua-
tim facturum confido. Fuerunt enim
hi tres excellentes Poetæ & summi uir-
ri, mihi

ri, mihi familiaritate & amicitia iun-
ctis. & illorum opera & consuetudi-
ne, me in studijs meis saepe adiutum,
grata mente confiteor. Non potui igitur
non uehementer in interitu horum,
& meo & publico nomine dolore. Et
in compositione huius carminis, dolor
& tristitia omnes ingenij uires, ita de-
bilitarunt, & cogitationes a culti & do-
cti carminis meditatione sic auocarunt,
quod hic nihil productum effectumque
fateor, quod eruditas aures magnope-
re delectare posset. Quae tamen tua
est uirtus, & mecum in his studijs, quae
ab humanitate sibi nomen quaesierunt,
societas & similitudo: reuerentiam &
pietatem meam erga defunctos: & mei
in te amoris conseruationem & signifi-
cationem, gratam tibi esse sines. Quod
ut facias, meque illustrissimo Principi
nostro, Iohanni Alberto, omnium li-
terarum & uirtutum patrono & meae-
nati memorabili, quam diligentissime
commendes: & si quid recti & boni in
me, &

me, & in studijs nostris industriae & uir-
 goris esse putas, ipsius celsitudinis
 gratiam & fauorem, autoritate
 tua mihi concilies, te etiam at-
 que etiam oro. Rosto-
 chij XII. Calendas
 Maij. Anno
 1562.



A s IOHAN-

IOHANNIS BOCERI
DE MORTE TRIVM
præstantissimorum Germaniæ Poëtarum,
& clarissimorum uirorum D.
GEORGII SABINI V. I. Doctoris,
Et D. IOHANNIS STIGELII, Et
D. PETRI LOTICHII Secun-
di, Medicinæ Doctoris.

ÆGLOGA
interlocutores.

LYCIDAS, CORYDON, ÆGON.

Forsitan à Viadro casu turbatus acerbo,
Infelix Lycidas, uiridem concessit ad Albim.
Huc quoq; de patrio Corydon se contulit Ilmo,
Tertius at gelidi linquens uada cærule Nicri,
Huc etiam uenit tardis non passibus Ægon.
Quos idem patrio pastores littore mæror,
Funera dum deflent fato sublata recenti
Egit, & ad notas lacrimas effundere ripas

Compulit.

Compulit, & longi solatia querere luctus.
 Conuenere locum, patulum qua tendit in orbem
 Sylua uirens, ramis gelidas ac implicat undas,
 Albis & aërias sinuato uertice quercus
 Alluit, & tutum solari littus ab aestu
 Seruat, & arentes late sinus ambit arenas.
 Hic primum Lycidas tristi sic cepit auena

Plangite pastores quos densis Marchia syluis, **Lycidon.**

Fertilis & pratis, uberrima nutrit & undis,
 Pastor Aristæus uestri qui gloria ruris
 Et decus immortale fuit, princepsq; canendi,
 Occidit, emeritæ permensus & ultima uitæ
 Tempora, secreti petijt loca tuta recessus:
 Valle sub Elysia gratis qua cantibus Orpheus
 Intonat, & tensis Linus aptat carmina Chordis.
 Scilicet his gracili non dispar ille cicuta,
 Germanas syluas, & culta Thuiscone rura,
 Suauiter incipiens ad cœlum carmine uexit.
 Hac se non alio tantum pastoria uirtus,
 Extulit, & diuum cannis æquauit honores.
 Huic os facundum, calamos huic Phœbus acutos
 Ipse dedit: quin & qua sepe mouere solebat,
 Naiades in fluuijs, Dryades in montibus altis,
 Fistula, cornigeri munus memorabile Panos

Hæc fuit.

Hæc fuit, Arcadicis Senior quam montibus olim
Ipse suis manibus septem discrimine uocum,
Argutasq; fores rutilo discreuerat auro.
Pastor Aristæus quoties hanc sumsit, & ori
Intulit, omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et uolucres leuibus quæ uexant æthera pennis,
Conuenère : ruunt celsis de montibus omnes
Pastores, gressusq; citos satus æthere faunus
Huc tulit, & suauis tactus dulcedine uocis,
Iudice me, dixit, tam cultis uersibus, ipsa
Pastor Aristæus Syluestria numina uincit.
Ergo iaces claræ decus immortale cohortis,
Et docti tutela chori, quem Pallas, & ipse
Phœbus ab insipido cælesti munere uulgo
Separat, & merito dignos concedit honores.
Quod si coniferas inter Viburna cupressos,
Et Corylos inter Pinus asurgere fas est.
Fas est hunc reliquos studio superare canendi.
Tam triuiale nihil, media uel plebe petatum,
Contulit in numeros, dulciq; expressit auena.
Sæpius hic cantu mordaces fallere curas,
Sueuit, & imberbem Musas ambire iuuentam
Blanditijs gratis, monitis & iussit amicis.
Nec tulit hanc unquam lento marcere stupore,

Sed uigil

Sed uigil æternæ demonstrans præmia laudis,
 Illi proposuit sacros uirtutis honores,
 Ad decus & tardo non iussit tendere cursu.
 Non illo quisquam nostro magis integer æuo,
 Aut fuit à longo rerum prudentior usu.
 Scilicet hic inter Pastorum numina, primis
 Vixit ab unguiculis, & plurima rura pererrans,
 Multorum mores hominum cognouit & urbes.
 Quin etiam summos pastori noscere Reges
 Cura fuit, multosq; Duces sibi munere uocis
 Demeruit, multoq; lubens dimissus amore,
 Rettulit ad patrios insignia dona Penates.
 Ergo flet extinctum, lepidè quicumq; canentem
 Audiit, & uultus pastoris uidit amicos.
 Te certe ueniente die, te uespere sero,
 Suspiro, lacrumisq; pijs te defleo raptum.
 Tu mihi care meas lugubri carmine curas
 Anges, & multum tua plangere funera cogis,
 Funera quæ uario pecuaria nostra dolore
 Adficient, morbosq; ferent, & prata sonanti
 Carmine priuabunt, & multisono modulatu.
 Nil uox apta tibi, nil culti copia mellis,
 Nil tibi de summo donataq; fistula Pane
 Profuit, hæc celeri mors omnia sustulit ausu.

Si tamen

Si tamen.ò nostræ Musam deposcis auenæ,
Semper Aristæi laudes, nomenq; sonabo,
Et nunc stelliferi uectus super ardua cœli
Culmina, felicitis qua iam post fata quietis,
Cœlestes animas inter, cœtusq; piorum,
Vteris ambrosiæ succu, uitaq; perenni:
Hinc nostros aduerte modos, quos sæpe probabas,
Ad Viadrum tecum teretri dum ludere uersu
Fas erat, & dulces cantando ducere soles.
Sera dies, cunctisq; bonis laudata senectus,
Felicem nostris te commendauit in agris.
Et uirtus puræ tibi clausit tempora uitæ.
Et tibi iuris amans, & constans pondere firmo
Pectus erat, ruris uarias discernere lites,
Sæpius ingenti tu dexteritate solebas.
Et tibi demitti grauitas blandissima uultu
Emicuit, canosq; tuos, moresq; modestos
Extulit, & reliquos pastores ante locauit.
Hactenus hæc Lycidas. Corydon cum mœstior illo
Incipit, & tali uacuum ferit æthera questu.

Corydon. Plangite pastores largis Thuringia campis
Quos alit, & pleno pecori dat pabula gustu,
Ille decus ruris, cantataq; fama Menalcas
Occidit, & syluas & dulcia prata reliquit.

Illu

Illum Salane lugubri carmine Nymphæ,
 Hieridesq; diu uitreis fleuere sub undis.
 Fleuit & in lacrumas totus miserabilis Ilmus
 Intepuit, proprio tristes & in anme dolores
 Testatus, fundo mœstum caput abdidit imo,
 Illum cantandi cunctis pastoribus artem,
 Qui dedit, ante alios patareus fleuit Apollo,
 Et multum tanto doluit priuatus alumno.
 Et nullum syluas, & nullum prata frequentans
 Continuit lachrumas numen. Stant Naiades udis,
 Et Dryades siccis pedibus, lachrumantiaq; ora
 Vix heu uix manibus possunt siccare leuatis.
 Omnibus in syluis, in pratis omnibus ingens
 Auditur gemitus, mœstos & tibia uersus
 Concinit, atq; ipsum resonant arbusta Menalcam.
 Illum piniferae fleuerunt murmure syluæ.
 Turbataq; alto gemuerunt uertice quercus,
 Et sonuere ipsæ quid nescio flebile fagi.
 Tum Primum patuit, quantus, qualisq; menalcas
 Extiterit pastor, nemo superare canendo
 Quem potuit, largo plenas sic carmine cannas
 Imflabat, numerisq; decus, roburq; sonorum
 Addens, ante alios tantum se uoce ferebat.
 Quantum humiles inter pinus procera myricas,
Surgit

Surgit & aërias ramis spaciatur in auras.
Carmine sic pingui nemo exultauit in agro,
Incaluitue magis. Volucres & gutturis apti
Vicit, & in dumis illi uocalis Achantis,
Cessit & huic Brenthus, resono qui carmine montes
Mulcet, & optato complet nemus omne susurro.
Hic pastor quoties teneras inflabat auenas,
Substitit, & positi depressit murmura uenti,
Syluaq; nil tacitis habuit resonabile ramis.
Et siluere ferae, Volucres siluere Sonoræ.
Turbaq; pastorum, quos passim Teutona tellus
Educat, illius doctæ cum carmina Musæ
Audiit, attonito similis, similisq; labanti
Hesit, & ingenium tanti mirata magistri,
Humanas superasse uices, illumq; deorum
Credidit esse genus, summo sic omnia cælo
Digna fuere, boni fudit quæ uena Menalcæ.
Nanq; canebat, uti summis descenderit Astris,
Ille salus hominum, latiq; salutifer orbis
Christus, & inferni fauces ceu fregerit orci,
Et nobis clausi reserant limina cæli.
Addidit his rerum causas, formasq; uagantes,
Omniparentis opus naturæ, Sydera, terras,
Atq; elementa suo fluitantia quæq; tenore.

Nec minus

Nec minus historiae partes, legesq; secutus,
 Et monumenta pie praeceptaq; commoda uitae,
 Tradidit assidue caris cum foenore alumnis.
 Illius heu nobis de caeptis carmina fastis,
 Imperfecta latere sibi quae saepe ferebat,
 Quis dabit? ut patulis suspensa notescere fagis,
 Et poterint meritum super astra referre Menalcam.
 Heu desiderij toties spes irrita nostri,
 Carmina quae leti multis sperauimus annis,
 Abstulit & secum splendentibus intulit astris,
 Temporibusq; suis inuidit forte Menalcas.
 At tu care deis, terris quem maxima uirtus,
 Nunc coelo pietas iusto commendat honore,
 Viue diu, requieq; tua diuine Menalca,
 Vtere: perpetuo meritas tibi carmine laudes
 Pastores dicent, quos pastoralis Apollo,
 Et docuit resonas Pan ipse inflare cicutas.
 Nam tibi praereliquis maior constantia cordi,
 Integritasq; illesa fuit, nec subdola wulpes,
 Nec lupus insidijs, studio te flexit honesto.
 Sed semper pratis haesisti pastor eisdem,
 Duraq; multuagae spreuisti spicula sortis.
 Pro quibus ipse tenes summi nunc gaudia coeli,
 Et claro miseris despectas lumine terras.

B

Hec Cos

ontes
o.

minus



Hæc Corydon. Socios mœsta cum uoce dolores
Excipit, & tergens lacrumas, sic incipit Ægon.

Ægon.

Plangite pastores uitrei qui flumina Nicri,
Infesto bibitis dum sol maturuit æstu,
Læta palatinis armenta; pascitis agris.
Occidit ereptus properanti funere Daphnis:
Daphnis ab his Nicri pratis ad Sydera notus.
Quo moriente boues ad flumina nulla, neq; amnem
Accessit quadrupes, nec lætas attigit herbas.
Daphni tuæ mortis Phœbo cum nuncia uenit
Fama, sui radijs illustrans corpus alumni,
Crudeles superos, & Parcas nomine dixit.
Daphni tuum interitum notos armenta per agros
Et montes fleuere truces, Syluasq; sonantes.
Non solum cannas docta coniungere cera
Daphnis & aonia didicit certare thalia:
Daphnis & herbarum uires, artemq; medendi
Nouit, & è membris lentos educere morbos,
E succis gratos & fundere mollibus usus.
Ut uites uuis gaudent, uelut arbore uites
Suffultæ, in patulas crescunt iucundius auras:
Tam nobis gratus Daphnis, sic gaudia Musis
Præstitit: illius dulci sic uoce leuatæ,
Erexere caput, uiridiq; in litore Nicri

Illius ad

125

Illius ad numeros cultas duxere choreas.
Taurus ut armentum, decorant ceu prata colores,
Daphnis pastores nostro sic rure canentes
Cantibus ornauit, quem postquam fata tulerunt,
Exijt ipsa Pales agris, exiuit Apollo.
Ah & qua toties nos delectauimus arte,
Grandia condidimus cum densis hordea Sulcis,
Post hac non nostras blandum resonabit ad aures.
Infelix tolium, steriles orientur auenæ,
Spinæ pro uiolis, & acutis carduus hamis,
Et pro Narcisso uilis se tollet Achantus.
Spargite humum folijs, Daphnis quæ condidit ossa,
Pastores, hoc ipsa Pales, hoc optat Apollo.
Huic tumulum facite, & tumulo tale addite carmen:
Hic situs est Daphnis, per Syluas notus & agros,
Et satis hoc: doctæ quia norunt cætera Musæ.
Non tamen hæc quocunq; modo tibi grata putamus,
Daphni decus francæ gentis, sublimius ipsi,
Rite tuum nomen cœli tollemus ad astra:
Daphnin ad astra feremus, amauit Daphnis & astra,
Et uigil occasus horum signauit & ortus.
Nunc quoq; stelliferum quæ claudit circulus orbem
Lacteus, & summi scandit penetralia cœli.
Hic bonus insueti miratur limen Olympi,

Sub pedibusq; suis currentia Sydera calcat.
Ocia Daphnis habet. Sed quis nunc alter ab illo,
Artis, & insignes cantandi æquabit honores?
Sis bonus & felix Daphnis, tibi rite quotannis,
Munera iusta feram, lachrumisq; rigabo sepulchrum,
Et tua cum tenero fluxerunt carmina riuo,
Riuus ab hoc semper lachrumarum rore sepulchro,
In nostros stillabit agros. En accipe felix,
Immortale tuos referat quod pignus honores,
Daphnin & insignem uenturo consecret æuo.

Tales ad uitreas fundebant Albidos undas
Tres hi pastores questus, lachrumasq; ciebant.
Omnia cum tristi Sylvarum numina uultu,
Vndarumq; decus Nymphæ, sensere dolores,
Hos & sublatos cantandi morte magistros,
Optantes Parcis mala plurima, deplorabant.
Ipse pater lachrumis auctus stillantibus Albis,
Mœstior ad plenas surgebat flumine ripas,
Et si non proprijs madidus stillasset ab undis,
In lachrumas poterat se conuertisse uideri.
Omnia tum tristi squallebant languida cultu,
Sylua comis, sueto turbatum flumen & alueo,
Deformata suæ doluerunt gaudia sortis.
Demisere caput folijs pendentibus herbæ,

Tristis

Tristia nec solito uiguerunt gramina rore.
Ingemuere ferae, moestum sonuere cicadae,
Et matutinae multum fleuere uolucres.

EPITAPHIUM

Reuerendi & clarissimi viri M. IOHANNIS
FREDERI, veteris emporij Vismariensis
Superintendentis vigilantissimi.

Grammata qui pueris, populis qui dogmata Chri
Tradidit & fidei saluificantis opus. (sti,
Immiti raptus Iohannes morte Frederus,
Hic prope dilectae coniugis ossa iacet.
Alter ab alterius ne consuetudine iunctus,
Lugeret uidui tempora moesta tori:
Coniugis exequias paucis post ille diebus,
Et sequitur nostrae debile carnis iter.
Plenus erat fidei, plenus pietatis & equi,
Maximus & ficti pectoris osor erat.
Et uitij fugitans, & castigator acerbus,
Quemlibet in praua non tulit ire uia.
Officiumq; suum claris uirtutibus implens,
Commissas uere pastor amauit opes.
Et res nulla uiro maiores ferre dolores,
Et pectus potuit sollicitare pium:

B 3

Quam



Quam toties monitus nil profecisse fideles,
Et spectare sui crimina fœda gregis.
Ringitur hic ira, uitij obsistere prauis
Pastor & ingenti sedulitate studet.
Quid meritus? cura quantum sibi profuit ista?
Præmia quæ tanti summa laboris erant?
Scilicet ingrati conuitia tristia mundi,
Atq; odium tanta pro pietate tulit.
Quæq; nocet rectis scelerata calumnia factis,
Ledere prompta uirum, si potuisset, erat.
Sæpe Theonini durissima uulnera dentis,
Sæpe minas hominum, iurgia sæpe tulit.
Illi sed mundus quæ præmia digna negauit,
Vberiora Deo iam sociatus habet.
Deridetq; minas hominum, sannasq; nephandas,
Turpiter innocuum quæ petière caput.
At tu quicumq; es sacros uenerare ministros,
Quorum cum uerbo consona uita Dei est.
Quos non indigna uentosa superbia labe,
Infamesq; lucri dira cupido facit.
Nec quos instabiles leuis inconstantia uersat,
Quosq; sui nullus uexat & angit amor.
Sed uirtutis amor, probitas intactaq; fucos,
Quos procul à uitij suspicione trahit.

Nos 742

Lydia

Nos rapit in uitium cursu natura citato,
 Pronus ut occiduas alucis urget aquas.
 Sed non ad lydiam reuocari crimina formam
 Debent, quæ fragilis patrat ubiq; caro.
 Ergò qui uitijs penitus non mergitur, istum
 Omnibus officijs & pietate cole.
 Pone subit Nemesis, ne lædas conscius illum,
 Inijciat frenum sensibus illa tuis.

EPITAPHIUM

Clarissimæ fceminæ & castæ matronæ HELENAE STELLAE, coniugis viri clarissimi M. Tilomanni Stellæ.

Tyndaridis forma sed quæ non mente reluxit,
 Hoc sita sunt Helenes ossa sepulta loco.
 Extitit ingenui custos hæc casta pudoris
 Corpore nec solum, pulcraq; mente fuit.
 Præceptisq; pijs teneros instructa per annos,
 Rite fuit superis, riteq; iuncta Viro.
 Hic quando peregre, sic re cogente, profectus,
 Sustinuit longas ire redire uias.
 Hæc desiderio cari consumpta mariti,
 Languit, ut amisso flosculus imbre solet
 Longaq; crudelem pepererunt tædia morbum,
 Dum sedet in tristi sola relicta domo.

Dumq;

ras



Q
112
1612

Dumq; peregrinis ne quid pateretur in oris,
Et timet absentis, fata, uiamq; uiri.
Ah tandem curis & seuo uicta dolore,
Et cadit ingratis languida facta moris.
Non secus assidue uentis quæ languet & imbris,
Ut perit æstiuæ gratia uerna rosæ.
Spiritus exuto repetiuit corpore cœlum,
Mente pia semper quod meditata fuit.
Urna sed exuias hæc, nudaq; corporis ossa,
Continet & curas ô Tilomanne tuas.
Huic rediens gemitus, supremaq; munera soluen.
Dic Helenæ æternum molliter ossa cubent.

Helena moritura loquitur.

Cara mihi proles, at sens & care marite,
Cur fugis amplexus ô Tilomanne meos?
Dum desiderio me torques usq; perenni,
Spirabo fessam languido ab ore animam.
Care marite Vale, Vitæ mihi terminus instat.
Et pereo lentum coniugis ob reditum.

F I N I S.

X22A2429

me

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



B. m. T
RI



RT

TAN

tarum, &

. GEOR

storis. Et

GELII.

CHII

æ vid. antec.

poetas nobiles
vite soluisse.

de E. Horkumij
obitu ovititur.

ANVS

D. Ad

D. Jan

aruss.

rus mtil

